

PERSIAE REGNUM

siue


SOPHORVM IMPERIVM.

Persarum Imperium vti olim celebre, sic etiamnum hodie maxime clarum est, amplissimasque Regiones comprehendit: nam omnem eum Asiae tractum, qui est inter Tigrim fluuium, Sinum Persicum, Mare Indicum (quod olim Rubrum) Indum, & Iaxartem (hodie Chefel) fluuium, & Caspium mare; nostra aetate a Sophis possidetur.

De Sophorum origine, ex Ioannis Barrij Asiae Decadib. haec transtulit Caelius Curio, in sua historia Sarracenicâ, Anno Salutis nostrae M. CCC. LXIX. Erat quidam Regulus inter Persas, Ardenelim oppidum obtinens, Sophi appellatus, qui se ex Alis Muamedis generi, stirpe, per Musam Cazinum eius nepotem oriundum gloriabatur. Hic Babilonio Calyfa extincto, & aduersa factione, quam Turcae tuebantur, a Tartaris depressa, coepit liberius suam de religione sententiam profiteri: & quia Hocemus Alis filius, a quo ipse se genus ducere iactabat, duodecim filios habuerat, volens aliquod sectae suae, quo a ceteris dignoscerentur, signum imponere, instituit, vt qui suam sectam amplecti vellent, tyaram sub velo, quo caput Turcae omnes involuunt, (tulibantem appellant) purpuream gestarent, quae in medio extra tulibantem duodecim fastigia emitteret. Eoque mortuo successit filius Guines appellatus; qui tantam sibi in toto Oriente doctrinae sanctitatisque opinionem conciliauit, vt Tamerlanes ille clarissimus Parthorum Imperator, qui Bayazetem Turcarum Regem cepit, per Persidem iter faciens, eum quasi sanctum aliquem virum inuisere voluerit: ab eoque Guines triginta captiuorum, quos secum adducebat, millia dono impetrarit, quos ipse post in secta sua instituit; eorumque opera Secaidar eius filius in bellis usus est: is enim Guine mortuo, Georgis Scythiae populis, suis finitimis, sed Christianis, horum viribus fretus, bellum intulit, multisque illos cladibus afflixit, &c. Haec de Sophorum origine dicta sint. Hi cum Turcis continua bella ob Mahumetanam Religionem gerunt; quoniam Sophiani vnum Mahumeticæ Religionis interpretem sequuntur, & Turcae alterum; qui quidem interpretes inter se sunt dissentientes, adeo vt Sophiani haeretici sint nuncupati a Turcis, & Turci a Sophianis. Gens natura liberalis est, & ciuilitatis amans; litteras & artes colunt; nobilitatem agnoscunt: in eo a Turcis differunt, quod hi nullum sanguinis aut stemmatum discrimen norunt. Harum Regionum situm, gentisque viuendi morem & ritus, vide apud Aloysium Ioannis Venetum; Iosaphat Barbarum; Ambrosium Contarenum; Ioannem Mariam Angiolellum, & cuiusdam mercatoris anonymi, cum his impressam peregrinationem. Consule etiam Iesuitarum Epistolas; & Nicolai Geni Patricij Veneti Commentaria rerum Persicarum.



Scala leucarum, sive Parysagaram 3000. passuum: quibus Persae & Mauri, qui magnam Asiæ partem occupant hodie locorum intervalla metuntur: quae mensura & vix cum antiquo vocabulo Parysaga conveniunt. Ceteri fere Asiatici per dies locorum distantias numerant.



TARTARIA
SIBERIA
RUSIA
CHINA

PER SICT
EVS SOPHO
EVM REGNI
TYRVS